

possit. Rectam definiunt alii lineam omnium inter duos terminos ductarum brevissimam. Caterum inde evidens est datis in linea recta punctis duobus, datam esse hujus lineæ positionem, ita ut unica duntaxat recta per hæc duo puncta transire possit. Ex his etiam intelligitur quid sit superficies plana, omnium superficierum eisdem terminos habentium brevissima, vel cui linea recta undequaque adaptari potest. Circulus definitur figura plana, unica curva linea comprehensa, quæ *peripheria* dicitur, sive *circumferentia*, ad quam omnes rectæ lineæ a puncto medio, quod *centrum* dicitur, ductæ, æquales sunt inter se; circumferentiæ pars quælibet *arcus* vocatur. Linea recta per centrum ducta & utrinque terminata, *diameter* dicitur; rectæ autem a centro ad circumferentiam ductæ, *semidiametri* vel *radii* appellantur.

III. *Anguli* notio ope circuli facillime concipitur. Duæ lineæ rectæ in aliquo puncto concurrentes angulum efficere dicuntur. Angulorum mensura est arcus, quem ipsorum latera comprehendunt in peripheria circuli ex anguli vertice tanquam centro descripti. Porro dum dicitur anguli mensuram esse arcum circuli, nihil aliud significatur nisi æquales esse angulos, si æquales sint arcus ex angulorum vertice & eodem radio descripti. Ita dum dicitur angulum esse alterius duplum, nihil aliud intelligitur nisi arcum unum altero esse duplo majorem. Itaque anguli natura in majori aut minori inclinatione unius lineæ ad aliam consistit. Igitur *angulus* cum sit mera linearum inclinatio